



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

Qvæst. 1. An dentur habitus naturales.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

QVÆSTIO I.

An dentur habitus naturales.

96. Qui voluerit tamen defendere prædictam probationem, quam S. ois ipse proponit, dicat consequenter charitatem etiam naturalem esse perfectiorem visione beatifica secundum se consideratam, quia opponitur odio Dei, quod physice loquendo est maximum malum, & multo maius quam quodcunque malum, cui opponitur visio beatifica; & idem dicat de quibuscunque aliis, quæ habent opposita imperfectiora physice, quam sit oppositum visionis.

Ad confirmationem autem dicat, quod ex hoc, quod charitas spectat ad voluntatem, ad quam spectant istæ aliæ imperfectiores, colligatur maior eius perfectio physica, quam sit perfectio physica aliarum formarum, quæ ad illam non spectant, nec possunt ab ea excludere imperfectiores illas physicas maiores.

Uterius, quod charitas patriæ sit perfectior scientia patriæ, probatur ulterius: quia Angeli perfectissimi denominantur Seraphim ab excessu charitatis, & Angeli illis imperfectiores vocantur Cherubim à scientiæ eminentiæ: ergo signum est quod amor sit perfectior scientiæ, aliis potius deberent perfectissimi Angeli sumere denominationem à scientiâ quam ab amore.

Præterea scientia etiam patriæ, v. g. visio beatifica, ordinatur per se ad amorem beatificum: ergo signum est, quod hic illa sit perfectior.

Probatur tertio conclusio, quia voluntas habet maius dominium in cæteris facultates quam intellectus, & licet dependeat à propositione intellectus, tamen potest diuertere intellectum ab una consideratione ad aliam, & sequi, vel non sequi eius dictamen: sed ex hoc videtur colligi posse, quod sit perfectior: ergo.


97. Obiicit, intellectus minus dependet à voluntate, quam hæc ab illo: ergo est perfectior.

Respondeo negando consequentiam; quia minor dependentia non arguit semper maiorem perfectionem, ut patet ex materia prima, quæ est imperfectior forma, & tamen minus dependet à forma, quam hæc ab illa: & ex ipsomet intellectu, qui pro hoc statu magis dependet à sensibus, quam sensus ab illo, cum tamen sit sine dubio perfectior sensibus, etiam si non haberet maiorem perfectionem aut magis perfectas operationes quam habet pro hoc statu.

Obiicit secundo: inter proprietates alicuius rei illa est perfectior, quæ prius dimanat, quia magis accedit ad illam ipsam rem cuius est proprietas: sed intellectus prius dimanat ab anima quam voluntas, sicut actus ipsius præsupponitur actui voluntatis: ergo est perfectior voluntate.

Respondeo negando maiorem cum sua probatione, loquendo de accessu in perfectione; quod enim prius emanet, aut non emanet, nihil facit ad rem, quia emanare prius, posset oriri non ex perfectione maiori, sed ex præsuppositione eius ad illud, quod posterius emanaret.

Deinde negari posset minor, nam quamvis actus intellectus præsupponeretur actui voluntatis, non sequitur quod ipsemet intellectus prius emanet, quam voluntas, quia quamvis æque primo emanarent, posset actus unus prærequiri ad actum alterius.



DISPUT. VIII.

De Habitibus.

VANDOQVIDEM potentia Animæ, præsertim Intellectus, & Voluntas, longo exercitio acquirant facilitatem ad aliquas operationes, quas ante non nisi difficulter exercebant; & illud, quod dat ipsis formaliter illam facilitatem, vocetur *habitus*, spectat sine dubio ad complementum huius tractatus, de Habitibus agere, maxime de naturalibus, nam consideratio Habituum supernaturalium spectat ad Theologiam.

1. **I**am dixi, per *habitus* intelligi illud, per quod potentia, quæ poterat quidem, sed non sine difficultate, elicere aliquam operationem, aut non tam cito, possit minori cum difficultate, ac citius illam elicere.

CONCLUSIO I.

In potentiis sensitiuis externis non datur *habitus*. Hæc est communissima omnium, & patet manifeste, quia nūquam habet maiorem facilitatem in operationibus suis, quam semel habuerunt, præsertim, quæ oriatur ex alio capite quam ex dispositione aliqua corporea meliori, quæ dispositio non acquiritur per frequentationem actuum, ut patet experientia: sed non est principium colligendi habitus, nisi à posteriori ex huiusmodi facilitate maiori, quæ acquireretur: ergo.

Dixi, quod non habeant maiorem facilitatem quæ ex dispositione, quia oculus aliquando potest esse indispositus sic, ut non possit tam perfecte videre, quam postea melius dispositus possit: sed illud, à quo habet hoc, non est *habitus*, de quo modo agimus, quia *habitus* acquiritur per actus in potentia bene disposita, physice loquendo; & est qualitas intentionalis; illud autem, à quo redditur oculus melius dispositus ad videndum, vel est aliquid physicum, sicut non intentionale, vel carentia alicuius physici positiui, & potest antecedere omnem actum, & perdi hæc intermissione, ac acquiri iterum sine frequentatione actuum, vade non potest esse *habitus*, de quo loquimur.

Ratio autem à priori, unde hæc potentia, nec sentiant maiorem facilitatem, nec indigeant habitu, est, quod ipsæmet non habeant sibi proponere sua obiecta, & quod eo proposito necessitentur ad suos actus ex eo, quod naturaliter sint determinatæ ad illos producendos proposito sic obiecto.

CONCLUSIO II.

2. **D**antur *habitus* in membris externis. Hæc est expresse Doctoris in 3. dist. 3. n. 19. quem præter suos sequuntur Nominales & alij, quos ibidem citat Scoliaſtes contra D. Thom. 1. 2. q. 50. cum suis, quos sequitur Suarez diff. 44. Met. V. 8. diff. 78. & alij plures.

Probatur experientia Scriptorum, Citharædorum, & Pictorum, in quorum manibus post frequentatos actus reperitur facilitas magna, quam non habuerunt antea: sed illa facilitas non potest provenire ab alio quam ab habitu inexistente illis membris: ergo datur *habitus* in illis.

Dices, illam facilitatem oriri posse ex dispositione physica organi, v. g. manus, & subordinatione eius ad virtutem phantasticam, & appetitum sensitivum seu voluntatem: ergo non provenit ab habitu inexistente manui, v. g.

Contra, quia non est conceptibile quomodo ex vlla dispositione organi, v. g. manus, possit fieri ut digitus Citharædi nunc hanc chordam, nunc illam remotam tam punctualiter tangat; quamvis enim ex dispositione corporis oriri possit ut velocius digiti moveantur, tamen non apparet quomodo ex illa dispositione absque habitu possint moveri tali ordine. Quod etiam id non proveniat ex subordinatione ad virtutem phantasticam, & appetitum aut voluntatem, patet, quia potest quis esse expertissimus in facultatibus interioribus ad sonandum, & tamen satis ineptus in facultate exteriori: ergo signum est quod illa habilitas quæ est ad sonandum in manu, non proveniat tantum ex illa subordinatione ad potentias interiores, & ex dispositione physica manus.

Confirmatur hoc, quia sæpe distrahuatur potentia interioris & versantur circa alia obiecta quando cōtinuatur dexterrime per manum cytharizatio: sed hoc fieri nequiret, si dexteritas illa proveniret ab habitibus subiectatis in potentiis interioribus: ergo non solum ab illis provenit.

Confirmatur secundo, quia nō potest provenire à potentia interiori,

interiori, quod manus tangat vnam chordam aut clauē post aliam, nisi quatenus potentia cognitiua proponeret illam tangendam, & appetitus aut voluntas imperarent manus, vt eam tangeret: sed quamuis hoc facerent, manus non statim tangeret tam expedite illam chordam, quam si esset assuefacta, & in initio sepiissime fallit non tangendo illam, quā tangi imperaretur: ergo signum est quod detur in ipsa manu aliqua facilitas particularis, qua fit vt illam statim tangat quam iubetur tangere.

Contra hanc conclusionem obicitur potest, quod si daretur habitus in membris corporeis, verbi gratia, in manu ad scribendum aut sonandum, deberet esse aliquis actus in illis, mediante quo produceretur; omnis enim habitus produci debet mediante actu: sed non est vllus actus in illis, per quem produceretur, præter motum illum localem quo mouentur cum tali ordine ac velocitate; ille autem motus non est principium sufficiens producendi habitum, qui sit qualitas: ergo non est aliquis actus in potentia externa, quo possit produci habitus.

Præterea, non videtur in manibus magis requiri habitum aliquem ad mouendum se dextrē iuxta imperium voluntatis aut appetitus, quam in ore ad dicenda promptissime tot mille verba etiam disparata, quod potest dicere quando sunt bene commissa memoriæ: & tamen est euident quod ad hoc non ponatur habitus in ore, & quod ad id sufficiat habitus memoriæ: ergo nec manus requirit habitum, sed sufficit ipsi habitus potentiarum internarum.

Hæc difficultas semper me inclinabat ad negandum habitum potentiis externis. Sed nihilominus tenendo illam cum Doctore ob fundamenta præmissa probabili ter, Responderi potest ad primam difficultatem negando sequelam maioris, quia ipse appetitus imperans manus motum illum, potest mediante actu suo producere in manu, supposito motu locali, habitum inclinantem ad talem motum, neque est necessitas quod vniuersaliter habitus producat per actu istiusmodi subiecti in quo inhæret; & hoc maxime locum habet quando potentia in qua subieciatur esset subordinata alteri potentia, quæ deberet imperare actus ipsius.

Fortassis etiam posset dici, quod ipsamet potentia locomotiva externa haberet virtutem productiuam istius habitus in se sine vllō actu, supposito tamen motu locali tanquam conditione sine qua non; & quamuis hoc esset difficile, tamen ex suppositione, quod constet dari habitum propter experientias, quibus fundatur conclusio, vel id dicendum, vel confitendum quod non possimus assignare à qua causa producat, quamuis constet ab aliqua eum debere produci.

Ad secundam difficultatem negari debet maior, quia non constat vllam esse difficultatem in proferendis verbis vocaliter, supposita memoria interna; sed constat non obstante perfectissima cognitione interna de modo sonandi & summa flexibilitate manus, eam tamen non esseabilem ad sonandum tali ordine & mensura absque assuefactione & consuetudine: ergo non est idem dicendum in vtroque casu.

CONCLUSIO III.

3. Intellectus non indiget habitu aliquo superaddito ad cognoscenda prima principia, aut conclusionem siue demonstrationem, siue probabilem, aut quodcumque aliud obiectum sibi propositum sufficienter secundum illam rationem, secundum quam possit habere actum circa illud; & idem dicendum est de potentia cognoscitiua interna. Hæc debet esse omnium Authorum, qui ponunt habitum intellectualem consistere in speciebus coordinatis solummodo; quia quando obiectum proponitur secundum illam rationem, secundum quam potest intellectus habere actum circa illud, ponuntur species cum coordinatione sufficienti; unde non requiritur aliquid aliud, quam intellectus cum obiecto sibi proposito, quod est intentum conclusionis. Videtur autem esse contra aliorum sententiam, qui præter species coordinatas requirunt habitum. Sed cuiuscumque, aut contra quemcumque sit conclusio;

Probat per primam partem, quia, vel intellectus ex se determi-

natur ad cognoscenda illa obiecta sic proposita, non minus quam potentia visua ad producendam visionem albedinis propositæ, vt reuera determinatur ad cognitionem primorum principiorum & conclusiones demonstratas, vel determinatur à voluntate, vt sit respectu propositionum probabilium & fidei: ergo non indiget aliquo habitu.

Probat per consequentia: quia ideo visus non indiget habitu ad obiectum propositum videndum, quia ex se est ad hoc sufficienter determinatus: ergo si ex se intellectus sit sufficienter determinatus, aut si determinetur sufficienter à voluntate, non indiget habitu.

Confirmatur, quia nulla experientia constat, quod intellectus facilius assentiat primo principio, aut conclusioni demonstratæ post mille assensus, quam primo; neque experientia vlla habetur, quod sentiat maior facilitas in intellectu post mille assensus fidei, & opinionis, quam in initio, supposita eadem propositione, & eadem determinatione voluntatis: ergo non sunt ponendi habitus in intellectu in ordine ad intelligenda illa obiecta hoc modo proposita.

Secunda pars probatur à paritate rationis, quæ omnino eadem est de intellectu, ac cognitiua sensitiva.

4. Obicitur: potentia intellectiva, & phantastica fatigatur per productionem actuum, & minus fatigatur quo magis assuecit eos elicere: ergo acquirit aliquid, quod concurrat cum illa effectiue ad productionem actuum, circa obiecta proposita; sed illud est habitus: ergo.

Probat per primam consequentiam, nam propterea fatigabatur ante potentia, quia ipsamet totas vires exhibuit, sed postea non tantum fatigabatur, quia aliquid acquirit, quod cum ipsa concurrat, & ratione cuius ipsa non debet tantum concurrere quantum ante.

Propter doctrinam propositam in hac obiectione Ariana disp. 9. num. 40. existimat posse dari habitum concurrentem cum intellectu, & probabile esse, quod de facto detur; quamuis alias putet non dari alium habitum ad cognoscendum, quam species propositionis cognitæ, & motuorum determinantium ad eius cognitionem.

Sed immerito propterea tantum attribuit huic obiectioni. Ad quam Respondeo negando consequentiam cum sua probatione, neque enim ex eo fatigatur potentia intellectiva, si fatigetur vllō modo, quod totas vires exhibeat, quia potentia etiam visua totas vires exhibet visioni, & tamen non fatigatur, aut si fatigetur, non tollitur eius fatigatio per habitum vllum: ergo ex applicatione effectiua omnium virium non sequitur fatigatio intellectus, aut si sequatur, non debet tolli per habitum aliquem effectiue cum ipso concurrentem.

Deinde, intellectus agens, vt sic, exhibet totas vires ad producendas species intelligibiles, & tamen non fatigatur: ergo fatigatio illa non oritur ex exhibitione omnium virium. Itaque vel illa fatigatio oritur ex determinatione formali, quæ fit per operationes vitales cognoscitiuas, vel non reperitur vlla ratione in intellectu; sed solum in potentia materiali cognoscitiua. Si primum dicatur, esset fatigatio, quamuis actus à solo Deo produceretur in intellectu mere passiuè se habente, nec posset tolli per minorem concursum intellectus, aut concursu habitus qui superadderetur, vt est euident. Si secundum dicatur, tum illa fatigatio orietur ex dispositionibus materialibus organi phantastici, & sic non potest tolli per qualitatem intentionalem, qualis est habitus, si detur.

CONCLUSIO IV.

5. Datur aliquid ratione cuius tam intellectui, quam potentia interna materiali cognitiua, occurrunt obiecta cognoscenda expedite & prompte, nunc cum tali ordine, nunc cum alio. Et si per hoc intelligatur habitus intellectus & phantasia, datur talis habitus. Hæc debet esse communis omnium.

Probat manifeste experientia, quia in initio difficulter nobis proponimus obiecta cum tali ordine, & vt facile id faciamus, debemus valde sepe ea proponere, suntque qui

Intellectus non indiget habitu ad primam principia aut conclusionem sufficienter

Datur aliquid ratione cuius tam intellectui, quam potentia interna materiali cognitiua, occurrunt obiecta cognoscenda expedite & prompte, nunc cum tali ordine, nunc cum alio. Et si per hoc intelligatur habitus intellectus & phantasia, datur talis habitus. Hæc debet esse communis omnium.

qui citius, & sunt qui tardius ad illam perfectionem perveniunt; ergo datur aliquid à quo hoc habet tam intellectus quam phantasia.

Quod si quæras, quid illud sit.

Respondetur, mihi id esse prorsus ignotum; nam quod alij dicunt non satisfacit, nec ipse aliud invenire possum. Ut autem difficultas & obscuritas huius rei magis pateat, examinandi sunt modi dicendi aliorum.

Itaque aliqui, ut *Huradus* hic disp. 16. & *Arriaga* disp. 9. illum non esse aliud quam species obiectorum aliquo modo tali vel tali coordinatas.

6. *Sed hic modus dicendi impugnatur primo*, quia habitus naturalis non dat simpliciter posse, sed facilius tantum, & in hoc distinguuntur à supernaturalibus habitibus: sed species coordinatæ dant simpliciter posse, neque enim sine illis potest intellectus aut phantasia exire in actum secundum; ergo habitus non consistit in illis.

Improbatur secundo, quia quando quis primo cognoscit aliquam propositionem, ob motum tale vel tale proponuntur sibi species ordinatæ ad hoc sufficientes: sed non habet tum habitum seu principium illud, quod possit sibi cito & facile proponere easdem species eodem ordine postea: ergo habitus non consistit in illis speciebus sic coordinatis.

Confirmatur, quia non habemus illud principium facilitans nisi post multos actus; sed habemus species sic coordinatas ante actus, sine illis enim non possent haberi actus.

Dicunt aduersarij, non in speciebus ordinatis quomodocumque consistere habitum illum, propter rationem hanc nostram, sed in speciebus purificatis & intensis ac ordinatis aliquo speciali modo, quam purificationem, intensiorem, & specialem ordinationem habent ab actibus.

7. *Contra primo*, quia ad hoc ut purificarentur, intendatur, ac ordinentur illo speciali modo, debet ipsis aliquid superaddi, & illud ipsum superadditum posset vocari habitus, si sufficeret ad illam facilitatem.

Contra secundo, quia illa coordinatio noua, quæ superadderetur, vel est aliquid respectuum, vel absolutum. Si absolutum, præterquam quod nihil absolutum posset esse coordinatio formalis aliquorum; adhuc sequitur quod illud absolutum posset vocari habitus potius, quam species coordinatæ per illud. Si respectuum: ergo ut sit de nouo, debet esse aliquid absolutum nouum, ratione cuius sit, maxime secundum aduersarios, qui negant respectum illum de nouo per se posse prodari: quam doctrinam etiam nos cum ipsis tenemus de respectibus intrinsecis aduenientibus, qualis esset hic respectus.

Confirmatur hoc, quia non potest intelligi quomodo possit poni noua aliqua coordinatio inter species illas, distincta ab illa, quæ fuit inter illas pro prima propositione.

Confirmatur secundo, quia illa maior purificatio non potest fieri in speciebus intellectualibus, quæ spirituales sunt, nec etiam in materialibus, nisi perderent aliquam partem sui, aut aliqua accidentia; ludicrum autem videtur quod per hoc, quod quis intelligat obiectum sæpius per species, illæ species perdant aliquam partem substantialem, aut accidentalem sui.

8. *Contra tertio*, quia etiam si species singulorum obiectorum, quæ debent proponi intellectui, aut phantasiæ, sint intensissimæ, ac purissimæ; non habet per hoc intellectus, quod possit eas tali vel tali ordine proponere, nec ipsæ per illos actus habent ex natura aliquam colligationem, ratione cuius, quædā proponeretur una, aliæ deberent proponi tali ordine, præsertim successiue: ergo debet esse aliquid aliud, præter species purificatas quomodocumque, & intensas, ac etiam præter coordinationem ullam, quam habent ex natura sua, aut ratione aliqui reperi in ipsis, à quo habet intellectus facile proponere illas hoc, vel illo ordine.

Probatur antecedens, quia species intensa, & purissima hominis, v. g. aliquando habet simul secum, & post se subsequentes has species, aliquando illas, quando

scilicet proponitur in diuersis propositionibus ac discursibus; ergo ex purificatione, intensione, ac coordinati- ne, quam habet ex natura sua cum aliis speciebus, non habet intellectus proponere ipsam potius cum hac, quam cum illa specie, nec post eam proponere hanc aliam speciem potius, quam unam alteram.

9. *Quod si admittatur* aliquid aliud distinctum, quod excitet species hoc vel illo modo; illud ipsum sufficit pro habitu, nec requiretur illa purificatio, intensio, & coordinatio, quam fingunt gratissime aduersarij, verba pro re obrutentes. Et per hæc patet, Philosophum, quando dicit, quod sciens habitu sit ille, qui quædā vult exit in actum, non fauere aduersariis; quia non habet quis à speciebus quomodocumque ordinatis in intellectu, aut phantasia exire in actum secundum, quædā vult, sed debet ulterius posse eas ordinatas, quando vult, sibi proponere; hoc autem non habet à speciebus coordinatis, aut purificatis, ut iam dictum est.

Communior sententia citata apud *Suarium* disp. 44. *Metaph. sect. 4.* est, quod illud, per quod facilitatur intellectus ad proponendas species tali modo, sit aliqua qualitas absoluta.

Sed neque hic etiam modus satisfacit, quia posita quacumque qualitate absoluta in intellectu, non determinaretur per eum intellectus ad proponendas species tali modo, nec determinarentur species ipsæ ad sic occurrendum; ergo illud, à quo facilitatur ad hoc intellectus, non est aliqua talis qualitas.

Probatur antecedens, quia si determinaretur intellectus, aut species per illum, cum sint causæ naturales, deberent semper determinari: sed hoc est contra experientiam.

Confirmatur, quia una qualitas non sufficit ad proponendas omnes species, quæ proponuntur: ergo debent esse plures qualitates; & consequenter deberet esse aliquid aliud, ratione cuius una qualitas potius quam alia hic & nunc determinaret; sed illud ipsum aliud sufficeret per se ad determinandum species ad hoc, ut occurrerent hoc modo; ergo profuit illa qualitas absoluta & præterea non sufficit.

10. *Tertius modus* dicendi esse posset, quod proponantur illæ species eo ordine, sed ab Angelo, vel Deo. Sed prorsus incredibile est, quod, si ista propositio fieret à Deo, aut Angelis, haberet talem dependentiā à pluribus actibus, ita, ut non proponerent sic species tam cito, & expedire, nisi quis haberet plurimos actus, tum vero proponerent. Et deinde non posset esse ratio cur aliqui paucioribus actibus indigerent, quā alij, aut cur idē aliquando haberet difficultatem proponendi res, quas sine difficultate ante, & statim etiā postea propositas habere potest; aut cur denique nonnunquā cōtingat ut res, quam perfectissime tenet memoria, non occurrat, cum velit.

Itaque quod ad me attinet, hoc etiā mysteriū inter naturæ arcana nobis inscrutabilia collocandū esse censeo.

CONCLUSIO V.

11. *Datur aliqua qualitas absoluta, quæ faciliat voluntatem ad unum actum præ aliis, & idem dicendum est de appetitu sensitivo.* Hæc est *Doctores* in 3. disp. 33. cum suis, & communis inter Philosophos, ac Theologos, quamvis *D. Thomas*, dum negat in voluntate habitus virtutum moralium, videri posset consequenter negare in illa esse vi- los habitus, quia nulli potius in ea collocari deberent, quam talium virtutum.

Probatur prima pars; quia voluntas est potentia libera non necessitata ad obiectū sibi propositum, & sentiens difficultatem aliquando in eo prosequendo; ergo indiget aliquo principio tollente ab ea illam difficultatem; sed illud principium non potest esse aliud quam qualitas absoluta, quæ communiter vocatur habitus; ergo.

Confirmatur, quia voluntas per varios actus prosecutionis, ac fugæ alicuius obiecti, redditur faciliior, & expeditior ad illud prosequendum, & fugiendum, quā ante fuit, ut patet experientia; ergo acquirit per illos actus aliquid, per quod redditur sic faciliior, & expeditior; sed illud non potest esse aliud, quam qualitas absoluta; ergo datur

Datur ha-
bitus in
voluntate,
quæ sit
qualitas.

in ea qualitas absoluta facilitas, & consequenter habitus.

Hinc probatur secunda pars: quia etiam appetitus sensitivus per varios actus acquirit facilitatem prosequendi aliquod obiectum, in quo prosequendo sentiebat ante difficultatem, & hinc minus aliquando resistit rationi, ac voluntati, & aliquando magis, prout consuevit magis, vel minus resistere: ergo debet in eo poni aliquid, ratione cuius ita disponatur: sed nihil potius, quam qualitas aliqua absoluta; ergo etiam in appetitu sensitivo collocanda est talis qualitas, & consequenter habitus.

12. *Ad hoc responderi posset*, difficultatem, quam sentit voluntas, aut appetitus sensitivus in prosecutione alicuius boni, oriri ex apprehensione aliqua, aut cognitione difficultatis annexae; quatenus scilicet illud bonum non potest acquiri sine molestia, & labore, vel quatenus impedit aliud bonum magis placens, aut desideratum, aut quatenus ob eius prosecutionem proponitur aliquod malum infligendum. Quod si non esset hæc apprehensio annexa bono proposito, nec voluntas, nec appetitus haberent difficultatem in eius prosecutione: ergo sufficit tolli illam apprehensionem; sed illa tolli non potest per habitum vllū positum in voluntate, aut appetitu: ergo facilitas, quam sentit voluntas in operando, non oritur ex qualitate aliqua, aut habitu posito in ipsamet voluntate.

Confirmatur hoc specialiter de appetitu sensitivo, quia appetitus sensitivus est potentia naturaliter determinata ad agendum circa obiectum propositum secundum illā rationem, secundum quam prosequitur obiectum: ergo non debet poni in ea habitus magis quam in visu, aut aliis externis potentiis, aut magis quam in potentiis cognoscitivis in ordine ad apprehensiones simplices.

Confirmatur secundo: Difficultas, quam sentit in operando, oritur ex apprehensione alicuius mali: ergo quamdiu est illa apprehensio, debet sentire difficultatem, quia æquē determinabitur postea ac primo, cum sit potentia naturalis: ergo difficultas illa nequit tolli, nisi ablata illa apprehensione.

13. *Contra:* Licet difficultas, quam habet voluntas in operando, nonnunquam oriatur ex apprehensione mali, & posset etiam tolli per ablationem illius apprehensionis absque habitu, ut si quis apprehenderet laborem aliquem valde grauem, & propterea abhorreret ab illo, postea tamen experiretur non esse tam grauem, & propterea non abhorreret ab illo; tamen experientia etiam constat, quod difficultas quam sentit, siue oriatur ab apprehensione, siue non, non tollatur per ablationem apprehensionis illius, quia ea manente sicut prius, aufertur difficultas, aut magna ex parte, aut totaliter: nam si quis nō obstante difficultate, quā sentit in viuendo temperate, ex eo quod apprehendat tali modo viuendi priuari se voluptate, quæ esset in intemperata vita frequentaret vitam temperatam, quamvis maneret eadem apprehensio semper, non sentiret tamen postea eandem difficultatem.

Deinde, qui habent difficultatem in male viuendo ab initio ortam ex consideratione offensæ Dei, aut iacturæ honoris, siue mutatione apprehensionis frequentibus actibus eo deueniunt, ut non sentiant illam difficultatē: ergo aliquod principium facilitans acquiritur ex parte voluntatis, aut appetitus, præter principium tollens apprehensionem.

Rursus difficultas operandi oritur ex ipsamet operatione formaliter, ex eo scilicet, quod sit contra inclinationē volūtatis, aut appetitus, vnde fit ut aliquādo aggrediamur aliquod opus in quo non apprehendimus difficultatē magnā, quod postea tamē omittimus ad hoc inducti experientia difficultatis in eo exercendo repertæ. Nec sane hæc difficultas potest tolli per apprehensionem vllam, quamdiu remanet, sed remanebit semper, nisi aliquid aliud ponatur ex parte potētiae, ratione cuius quod ante erat difficile ex natura sua, postea non sit difficile: illud autem est habitus seu qualitas posita ex parte voluntatis, aut appetitus. Per hæc patet ad replicam.

14. *Ad primam autem confirmationem* nego consequentiam, & ratio disparitatis est, quod appetitus licet sit potentia naturalis, sicut potentia visiva, sit tamen potentia,

quæ possit habere, & prosecutionem, & fugam circa idē obiectum, ex quibus vnus actus est magis, aut minus iuxta suam inclinationem, aut dispositionem præsentem, vnde, ut possit etiam habere alium actum cum minori difficultate, quando ad ipsum determinatur, debet poni habitus: potētiae autem externæ non sunt natæ habere oppositos actus circa idē obiectum, vnde est necessitas ponendi habitus in illis.

Ad secundam confirmationem, permisso antecedente, distinguo consequens: si potentia eodem modo se habeat, transeat; si non, negatur. Itaque licet apprehensio difficultatis posset mouere volūtatem non habituata, non tamen esset necesse ut moueret habituata.

Respondeo secundo, non ex apprehensione oriri difficultatem, sed ex natura actus, quem experitur difficilem voluntas non habituata, quæ tamen, quando habituata est, non ita sentit ipsum.

15. *Hinc potest vltimum probari conclusio:* actus aliquis ex natura sua potest esse facilis voluntati, aut appetitui, quando non habet inclinationem aliquam actualem sensibilem in oppositum, qui esset ipsi difficilis si haberet talem inclinationem, & e contra: ergo, ut tollatur difficultas, quam experimentatur voluntas in exercendo aliquem actum, ex natura ipsiusmet actus proueniens, debet poni in illa propensio ad illum actum, & tolli propensio sensibilis ad oppositum actum; & ut tollatur facilitas, quam sentit in exercendo actu, debet poni propensio ad oppositum, & tolli propensio ad illum actum; sed hoc nequit fieri nisi per habitum aliquem positum in illa potentia: ergo datur talis habitus.

Confirmatur conclusio, declarando quomodo generantur habitus, seu qualitas absoluta sic dicta in potentia. Potentia, quæ est ex se valde inclinata ad aliquem actum, v.g. ad temperantiam, non sentit difficultatem in temperate viuendo ex natura ipsiusmet actus, & consequenter si proponatur ipsi per potentiam cognitiuam temperata vita sequenda, non excitaretur in ipsa per illam propositionem auersio vlla, aut fuga, aut displicentia actualis, sed potius amor, aut desiderium istius boni: hoc tamen non obstante voluntas posset contra illam inclinationem elicita libere velle hic & nunc intemperate viuere; ille autem actus relinquit in potentia aliquod principium inclinans ad talem actum iterum producendum, & alius actus relinquit aliud, donec potentia illa magis, aut æque inclinetur virtute istius principij ad intemperate viuendum, quam ante inclinabatur ad viuendū temperate; quando autem est in tali statu, cum proponitur intemperate viuendum, excitatur desiderium eius in potentia, & actus ipse est gratus ipsi, ac consequenter facilis: quando vero proponitur temperate viuendum, excitatur auersio ab illa, & actus ipsemet est molestus, ac consequenter difficilis. Quod autem ita fiat, colligitur ex eo, quod hic modus explicandi, quomodo fiat illud, quod experimur fieri, quantum ad difficultatem operandi, sit facilis, absque vllō inconuenienti, quod non possit melius explicari quomodo fiat.

Et per hæc patet ad fundamentum præcipuum oppositæ sententiæ, quæ in hoc consistit, quod non sit necessitas huiusmodi habituum; ita enim ostensa est eorum necessitas: etiam non obstante quod voluntas esset potentia naturalis.

QVÆSTIO II.

Quomodo habitus acquiruntur per actus.

16. Supposito ex quæstione præcedenti acquiri habitus medianibus actibus, quæritur iam in quo genere causæ actus concurrunt ad productionem habituum.

Prima sententia est, actum concurrere ad habitus in genere causæ materialis, ac dispositiue. Ita Durandus 3. dist. 33. q. 3.

Secunda sententia est, quam amplectitur Buridanus 2. Ethic. 3. Habitum produci per actum, tãquam per actionem, sicut calor producit per calefactionem.

Tertio